Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1015
Quelle:
Copyright:

In cuius edificio
Talis extat fundacio.
Iaspis colore viridi
Vigorem prefert fidei
Que in perfectis omnibus
Nunquam marcescit penitus.
Cuius forti presidio
Resistitur dyabolo. &c.

Festo OO. SS. aut Dedicationis Ecclesiae alicubi olim adcommodatum fuisse putem. In *G. Cassandri* Collectione non comparet; editus vero est inter Carmina *Marbodi* Ep. *Redon.* cum *Hildeberto Cenom. Paris.* 1708. p. 1679. f.

IV. *fol.* 38. absque Titulo Declaratio quorundam Christianae Fidei Capitum contra *Saracenos*, *Graecos* et *Armenos*, quae incipit: *Beatus Petrus apostolus Qui promissionem accepit a domino vt super eius confessionem fundaretur ecclesia* &c. Est *Thomae Aquinat.* et *Tertium* Opusculorum edit. *Rom.* 1570. T. XVII. *fol.* 48. p. 2.

V. *fol.* 53. Epistola *Aen. Silvii* ad *Petrum* quendam, quem *Noxetanum* habeo, ad quem etiam VII. Epistolas Ejusdem in Bibl. *Riccardiana* extare testatur Catalogi ejus Editor *Job. Lamius* p. 8. data *ex Basilea XII. kal. iunij M° CCCC° XXXVII°.* et e *Cod. Caes.* vulgata a *J. Dom. Mansio* T. VI. *Supplem. Concill.* p. 598. Ejus initium: *Eneas siluius Petro suo salutem. Credo me non solum heri mei reuerendissimi* &c.

VI. *fol.* 64. *Incipit tractatus Bonauenture de corpore christi et de preparatione ad eius deuotam susceptionem Ritamque celebrationem misterij misse.* Adi *Cod.* DCXLVI.

VII. *fol.* 74. *Hermanni de Schildis* O. Erem. S. Aug. *Westphali* Libellus de Administratione Sacramentorum Baptismi, Eucharistiae et Poenitentiae inscriptus *Speculum Sacerdotum* et dicatus: *Uenerabili in christo ac domino gracioso Gotfrido dei gracia ecclesie Osnaburgen. episcopo* &c. Unde liquet compositum fuisse intra annos 1323. et 1349. quo *Godefridus* hic *Bremensibus* datus est Archiepiscopus. Editus est Sec. XV. *s. l.* et *a.* 4. item *Venet.* 1480. De Autore agit *Ossingerus* in *Bibl. Ord.* post *Trithemium*, *Fabricium* &c. Vide et *Indicem.*

VIII. *fol.* 85. *Incipit Tractatus de proprietarijs Religiosis Editus per Magistrum Hainricum de hassia doctorem Sacre Theologie eximium In Wienna regentem.* Initium: *Pro salute eorum qui vicia fugere cupiunt, cum ad ueritatis viam fuerint reformati* &c. Indicatus *Codd.* variis, ut in *Indice* notantur. Exemplo praesenti subjectus est Annus 1419. et *iohannes Küssinger.*

IX. *fol.* 98. *Hic introducuntur persone duorum videlicet deflentis hominis et ammonentis Racionis.* Incipit Homo: *Anima mea in angustiis est. Cor meum fluctuat* &c.

Excerpta